

*Videbit omnis caro salutare Dei.*

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam

3, 1-6

<sup>1</sup> Anno quinto décimo impérii Tibérii Cæsaris,  
procuránte Póntio Piláto Iudæam,  
tetrárcha autem Galilææ Heróde,  
Philíppo autem fratre eius  
tetrárcha Iturææ et Trachonítidis regiónis,  
et Lysánia Abilínæ tetrárcha,

<sup>2</sup> sub príncipe sacerdótum Anna et Cáipha,  
factum est verbum Dei  
super Ioánnem Zacharíæ filium in desérto.

<sup>3</sup> Et venit in omnem regiόnem circa Iordánem  
prædicans baptísmum pæniténtiæ  
in remissiónem peccatórum,

<sup>4</sup> sicut scriptum est in libro sermónum Isaíæ prophétæ:  
«Vox clamántis in desérto:  
“Paráte viam Dómini,  
rectas fácite sémitas eius.

<sup>5</sup> Omnis vallis implébitur,  
et omnis mons et collis humiliábitur;  
et erunt prava in dirécta,  
et áspera in vias planas:

<sup>6</sup> et vidébit omnis caro salutáre Dei”».

Verbum Dómini.